



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt VII. Verbum insitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

dens, sed repente totam eam complectens. Quoniam ergo erat Propheta, & consentaneum erat futura prædicentem, & per anagogem significantem hæc dicere, par fuit ut immutaretur in eo quod dicebatur de elementis. Quod autem dicit, est eiusmodi; futurum est ut vniuersa terra, Dei verbore sonet, idque cum maxima celeritate, & breuissimo tempore. Deinde ne quis dubitaret, si Iudæi, gens vna, in quam tanto tempore, tantum studij & diligentie collatum est, non fuit proba: quo pacto ij, qui vniuersum orbem terræ habitant, poterunt breui tempore componi, bonique & moderati effici? Ad confirmandum id quod dicit, sumit exempla ex elementis, niuem, nebulam, glaciem, quæ breuiter fiunt vno momento temporis.]

330. Possimus sanè nec immerito, de quolibet in proximorum cura intento, usurpare illud Pisdæ de Sergio Patriarcha Constantinop. quem in Cosmopeia v. 1846. describit studiosissimum salutis animarum.

*Largo imbre terram irrorat, atque oculis pluit,
Ningit frequenter, lacrymarum cum imperu.*

Sic chrystallus mittitur sicut buccellæ, ut habetur Psal. 147. velut legit S. August. ibi: *Sicut frustra panis, quod sic explicat. [Quid est ergo, Miris chrystallū suū velut frustra panis? Quomodo nix illa ipsius? Quia prædestinatorum est. Quomodo nebula illa ipsius? Quia ipsi vocantur ad penitentiam, qui prædestinati sunt ad salutem: sic est quodam modo chrystallus ipsius. Quid est chrystallus? Multum obduruit, multum congelauit, non iam sicut nix facile solui potest. Nix multorum annorum tempore durata & serie seculorum, chrystallum dicitur: & hoc mittit velut frustra panis. Quid hoc sibi vult? Fuerunt nimis duri, non iam niui sed chrytallo comparandi. Et ipsi prædestinati sunt, & vocati, & quidam eorum ita ut pascere alios, & essent viles & alijs. Et quid opus est ut numeremus multos forte quos nouimus, illum, aut illum? Occurrit vnicuique cogitanti ex ijs quos nouit, quam forte duri & percinaces & obnitentes aduersus veritatem fuerunt, & modò prædicant veritatem, facti frustra sunt panis. Quis ille vnus panis? Multi (inquit Apostolus.) vnus corpus sumus in Christo. Vnus panis, vnū corpus: multi sumus, ipse dicit. Ergo si vnus panis totum corpus Christi, membra Christi frustra panis sunt: de quibusdam duris, facit membra sua, & vtilia ad alios pascendos. Quid inus per multos? Notissimum illum Paulum Apostolum intueamur, nihil nobis isto viro notius, nihil suauius, nihil in Scripturis familiarius est. Et si fuerint qui ex tanta duritia conuertantur, in quanta ipse fuit, panis fient.]*

331. Non exigo ad rigorem physiologicum quod ait D. August. de chrytallo procreata ex niue antiqua, quod falsitatis insinuat Anselmus Boods lib. 2. de gemmis, c. 73. & Georgius Agricola l. 6. de fossilibus cap. 7. Et præter argumentum quod afferunt de resolutione chrytalli, non in aquam, sed in puluerem; constat niuem longa annositate rubescere, ex Aristotele 5. histor. animal. c. 19. & Plinio l. 1. cap. 35. rubore ibi vortato, pro flauedine, ut ebur antiquum, dicitur rubere Threno. 4. id est interprete Pineda l. 6. de Salom. c. 4. num. 5. ad flauum colorem accedere: Quæ rubedo niui annosæ aduent ob dissipationem spiritus calidi, quo nix recens turgebat & albebat. Deberet igitur chrytallus rubere si è niue annosa existeret. Constat tamen chrytallum non rubere, atque adeo perperam dicitur effici ex niue annosa. Quo argumento virgeri item videntur, qui duplicem illum modum procreationis chrytalli, agnoscunt. Quamuis autem non posset duplex ille modus generationis chrytalli, iuxta veritatem physicam approbari, tamen quia receptus loquendi modus, & vulgi sensus, cui plerumque Scriptura in huiusmodi rebus se accommodat, neglecta seneritate castigatissimæ veritatis; ut vide-

mus in narratione de pellicano & de aspidē suda, aliffque; fert chrytallum existere ex niue perantiqua: non immerito D. Augustinus, ex ea vulgari de chrytalli ortu sententia, exposuit quod apud Plaltem habetur de chrytallo Dei, missa ad modum buccellarum & frustorum panis. Quantopere autem hac passionē diuinæ familiæ perficiatur hæc chrytallus, siue cibis datus in tempore; quantum in eo fiat gratiæ & sanctitatis clementia, non potest melius intelligi quàm si attendatur ad exercitationem præstantissimæ omnium virtutis, quæ est charitas impenfa animabus, quas Deus amat, ac proinde præstitutum illis subsidium, cumulat vberimis prouentibus.

Ac denique Glorificatio.

332. Iustificacionem eiusque accrementa, excipit postremo loco Glorificatio, quam niue optime exprimi, tradunt passim Patres ad illud Matth. 17. *Vestimenta eius facta sunt alba, sicut nix:* Et Richardus ad illud Apocal. 1. *Caput autem eius, & capilli, candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Est sanè nix, Symbolum splendoris & gloriæ, ut patet ex versibus illis S. Paulini de S. Felice natali 6. ferè initio.

*Nam cui fas hominum cui Christus amorque timorque
Non gaudere hodie, & vacuum procedere voti.*

*Caliculus Christo quando adgaudere ministros
Ipsa etiam festo produnt elementa colore?*

Cernite latitiam mundi in splendore diei.

*Elucere sacris insignibus, omnia laus
Candor habet, siccus teneris a nubibus imber*

Ponitur, & niueo tellus velatur amictu

*Que niue tella, solum niue, sylua & culmina, colles
Cuncta senis sancti canos resstantur honores*

Angelicaque docent & luce & pace potiri.

*Felicem placida clarum in regione piorum
Lactea qua tacito labuntur vellera celo.*

Sed & profani, cælestes specie niuearum Virginum exhibebant, ut monstrat quod de Bremij exercitu per niueas Virgines oppresso superingesta mole niuium, habet Tull. 2. de diuin.

Probatum igitur perspicue est, effectus supernaturales quos Christus circa nos operatur, rite confecti cum niui effusione, ac proinde ex hoc item capite commodè Verbi Incarnationem cum hac effusione componi.

Vsu doctrinæ.

Vnus doctrinæ esse debet, vbertas magna fructuum iustitiæ, & omnium lætas huiusmodi segetes impediunt, remotio. Nam quoniam eo fine Deus Verbum, specie niui terræ nostræ illapsus est, ut quod nix terris præstat, hoc & ipse nobis conferret, nix autem & fecunditatem conciliat agris & bestias frugiperdas necat, idque eo plenius præstat quo descendit copiosior, ut in præmio libri de aquæ refrigeratione per niuem ex Gellio & Hispato adagio monstrat Monardes, par omnino est, ut tanta niue intelligibili in terram nostram effusa, fructificemus iustitiæ, non quomodo cunque, sed vberimè.

CA P V T VII.

Verbum insitum.

333. Nullum quidem Incarnationis exemplum extare in rebus creatis omni ex parte perfectum, agnoscit Dur. in 3. d. 1. q. 1. 1. Si tamen aliquod non vsquequaque inidoneum perferri possit, illud esse censet idem Durandus, quod à S. Iacobo c. 1. expressum esse notat, vocibus illis *Verbum insitum.*

Opimum

Optimus Incarnationis typus, iuxta Durandum, insitio, & quæ.

Id in hunc modum exponit Durandus. Cum enim incarnatio, nihil aliud sit quam vnio naturæ humanæ cum diuina substantia, nullam putat Durandus ex- tate in his inferioribus, vnionem viciniorē vnioni incarnationem constituentē, quam insitionem. Sanè quædam videntur constitutivæ vnæ naturæ, aut ex corruptione vnibilium, vt aqua modica coniuncto multo vino & potenti; aut salus omnibus vnibilibus, vt materia & forma incompletæ, constant composi- tum completum. Qui omnes modi vnionis exultant ab incarnatione, etiam tertius, ob completissimam Verbi rationem. Quædam verò videntur, non consti- tuendo vnā naturam: siue coniugantur per vnio- nem accidentariam aut inherēntiam, vt subiectum & accidens: quam vnionem constat ab incarnatione ab- esse, cum sit tendentia ad ens substantiale, & inherē- ntiam ad Deum, qui purissimus actus est, in se ne- queat: siue coniugantur per coniunctionem sub- stantialem absque nouæ naturæ constitutione, quo pacto inseritur ramus stipiti. Non enim constituitur no- uæ natura, nisi continuatione præexistentium. Sicut è contratio, cum continuum diuiditur in plura eiusdem rationis, interuenit sola præexistentis diuisio, absque generatione noua. Hic vniam dissimilitudinem in- ter vnionem incarnationis & hanc insitionis, agnoscit Durandus supra n. 13, nempe quod in insitione sit vnio similis cum simili, ratione cuius est ibi continuatio & plusquam contactus: quæ similitudo non reperitur inter diuinam substantiam & naturam ex vna parte, & humanitatem ex altera. Ea disparitatis seculā, quæ negligi facile potest, suppleme diuinæ perfectione illi- mitatā similitudinem vnibilium hic deficientem, in re- liquis hanc vnionem quadrate cum vnione incarnatio- nis, affirmat Durandus, quia sicut ex insitione non exiit vna natura, sed tantum mediante contactu ra- mus inseritur arbori, & efficiuntur vnus secundum suppositum; ita natura creata appositā diuino suppo- sito, mediante ordine, qui ex Augustino hoc facit in spiritalibus, quod sitis & contactus in corporalibus, contingit quodammodo Deum, & ei inseritur, ac in ipso substantificatur. Quod Durandus iis Scripturis expressum putat, quibus Christus dicitur *Radix David*, Apocal. 5, & 21. quasi docente Spiritu sancto, sicut ex radice & ramo fit vnus per insitionem, sicut ex natura diuina tanquam ex trunco & radice, & ex humanitate vt ramo insito, per incarnationem vt per insitionem, fit vnus Christus; qui ideo Iacobi 1. vt ibi Glo- sa expendit, *Verbum insitum* appellatur.

Insitio alia magis propria, quomodo Incarnatio- nem exhibeat.

334. Accipit alio modo insitionem hic Durandus, quam passim fiat, etiam ab iis quibus hoc exemplo ad- umbrare incarnationem placuit. Hi enim per insitio- nem, intelligunt adiunctionem dissimilis surculi in truncum dissimilem; & quidem boni surculi, in agre- stem truncum, per quandam vt Onidius & Columel- la appellant, *adoptionem*, factam vno è quatuor modis quos memorant Plinius l. 17. c. 14, & Clem. Alexand. 6. Strom. c. 6. tractans illud Rom. 11. *Ex oleastro excisus, inseritur ei in bonam oliuam*; Quod enim insitum est, pro- terra habere arborem in quam inseritur, & sic enade- re nouo modo fructiferum, obseruat Clemens: siue ex insitio fiat inter lignum & corticem; siue ligno fillo & generosa planta in ipsum immissa, siue vtro- que surculo falce acuta detaso donec medulla nude- tur sed non viceretur, tum vtroque surculo deuincto;

siue denique per inoculationem [qua à generoso trun- co circumciditur oculus ei quoque cortice vna in or- bem circumscripto vnus palmi magnitudine. Deinde eraditur truncus oculo, æquali circumscriptione, & sic immittitur circumligatus & luto circumlitus, integro seruato & illæso oculo & minime inquinato.] Ele- gan tissimè id describit doctus Poëta 2. Georgic. à Plinio c. illo 14. laudatus; à quo etiam c. 16. additur, vi- sam abs se iuxta Tiburtes tiliam omnibus illis modis insitam, omni pomorum genere onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, punicis, ma- lorūque generibus.

335. Hæc quidem est magis propriè insitio, deestque in ea defectus quem Durandus cauabatur: nam dissi- mile accedit ad dissimile. Itaque poterit sanè vnio Ver- bi cum humana natura, hoc exemplo exponi. Sūntque multa perbellè respondentia incarnationi, in hac insi- tione. Nam vtique natura perstat salua & integra, & ambe in vno veluti supposito coniunguntur; quare- nus truncus & ramus insitus, adhærescunt continui- tate perfecta quoad quantitates, & substratas eis ma- terias, quidquid secus senserit Soto 5. phyl. q. 3. art. 2. ad 8. malè mandans corrigi sensum per intellectum, quod non videtur hic posse fieri, cum partes firmiter cohæreant, vt rectè obseruant Valelius controuers. 31. in fine. Tol. 5. phyl. q. 3. ad 3. & Palac. in 3. d. 1. disp. 1. sub fine. Traditque apertè S. Thomas 5. Metaph. lect. 7. & 3. p. q. 77. art. 8. ad 2. Ea autem perfectæ & vera continuitas, superans adhærentiam absque vnione qualis tantum efficitur adhibeo giurino sapit vnitatem suppositi & nonnihil eam refert; nam ideoque duæ illæ naturæ trunci & rami inserti, dicuntur vna arbor; estque inter duo illa vnibilia vnitas substantialis, & eiusdem succi vitalis transmissio & immeatio mu- tua: dicereque licet, pyri surculo tiliæ inserto, tiliam pyra producere. Benè video quid hic præcipue defi- ciat. Nec ignoro hanc vnitatem duarum naturarum dissimilium non esse verè suppositalem, sed tantum esse continuitatem quantitarum & materiarum. Ta- men quia omnia exempla temper claudicant, & cer- nitur hic aliquid non incongruè referens vnitatem suppositi in duabus naturis, & aliquoties ad eam ac- cedens, non malè adhibetur hoc exemplum ad incar- nationis expressionem. Id quo factum ferunt à Con- cilio Viennensi, etiam si ego quidem nihil in eo inue- nio ad ista spectans.

Vsurpant verò exemplum illud ad hanc rem, Hu- go Card. & Thomas Anglicus Iacobi 1. Quamuis enim manifestum videatur, aliud ibi velle Aposto- lum, nec de insertionem Verbi in naturam nostram egisse, sed de insertionem Verbi Dei in animam per præ- dicationem: tamen accommodare quoque cum lo- cum Christo voluerunt, eò quod sicut prædicatio Euangelica fidem inserit, generosam vtique plantu- lam, naturæ agresti; ita Verbum diuinum, trunco syluestri humanæ naturæ, in horto Virginei veteri, operante cælesti plantatore, insertum est; vt ex vtri- que fieret vna persona præciso ab humanitate proprio termino, & substituto diuinæ substantiæ surculo. Et congruit tempus insitionis plantarum, quam constat verè fieri, & commodissimè (vt aiunt) Austro flante similiter enim plantula generosa diuinæ substantiæ, nostro agresti trunco inserta est tem- pore veris, & Spiritu sancto, qui in Scripturis appellatione Austri significatur, superueniente in Deiparam.

Quomodo Christum radix David, si Verbum inseritur.

336. Nec obest, quod humana illa natura cui Ver- bum insertum est, id est natura Abraham & Davidis,

R 4

aliquan

aliquando in Scripturis, non truncus cui sit initio, sed radix appelletur, ut Apocal. 5. & 22. & Isaia 11. Hæc enim non eripiunt Christo denominationem furculi; sed idcirco dicuntur, ut intelligatur, Christum qui secundum humanitatem prodit à Davide & Abrahamo, & quatenus Deus substantiæ ex ijs derivatæ confertus est, eundem propterea Deum esse radicem eorum quoad esse naturale, & propterea hominem Deum, esse radicem fidei, & sanctificationis universæ qua potiuntur. Quod Rupertus utroque Apocalypsis loco allegato pulchrè expressit, & concinnè S. Bernardus ferm. 1. de Pasch. ubi expendens locum Apocalypsis citatum, hæc habet. [*Radix* (inquit) *David*: Non David radix eius, sed ipse radix David, quia portat & non portatur. Merito David sancte, Filium tuum vocas Dominum tuum, quia non tu radicem portas, sed radix te. Radix fortitudinis tuæ & desiderij, radix desiderabilis, radix fortis. *Veni leo de tribu Iuda radix, David, dignus aperire librum, & solvere septem signacula eius.* Apocalypsis verba sunt hæc. Discant qui non legunt, recolant qui novierunt.] Possimus etiam cum Ribera ad eundem locum & Gabriele Aluarez in c. 11. Isaia ad v. 10. dicere nomen *radix* eo loco, pro germine & succrescente à terra stipite, usurpati: quod in alijs quoque Scripturis cerni, prolatis exemplis monstrant iidem interpretes. Itaque ita Christus radix est ac genus Davidis & Abraham, ut simul quatenus Deus, confertur & implantetur substantiæ humanæ ex eorum substantia desumptæ, & ad modum furculi ad eam se habeat.

Verbum est furculus, humanitas truncus, non contrà.

337. Consultò Verbum comparo cum furculo, quia Verbum est quod inseritur, non autem humanitas. Ita semel ac iterum, tametsi tandem subdubitare visus est, qui pereleganter hanc Incarnationis adumbrationem tradidit S. Ephrem ferm. de margar. pretio, verbis illis. [Deus diversorum egregiorum operum fons est, & quantum quis vim habet intelligendi, tantum se extendit; & simul invenit quoties quis intelligere potest. Insevit naturæ Divinitatem, ac tanquam in rimam quandam ac fissuram, suum includit Filium: ut qualitatem participans, naturam redderet communem in assumptione hominis. Fuit igitur Maria patri arbor, Filio mater, hominibus fons (spiritus æterni, & pudicitia atque incorruptionis præceptum. Habet porro pro vinculis hæc initio, Prophetarum testimonia; & oculus siue rimula, pro spatio habet naturæ distinctionem. Agricola falcem habet, quæ mundat & expolit, virginis animo prius & corpore preparato, ac virtutem in se continet Spiritus sancti: arborque ad melioris naturæ susceptionem facta, sanctæ mulieris fidem habet.] Et mox. [Cæterum antedictis fidem habere, nam & ipse ait Salvator: *Ego sum vitis, & vos palmites.* Pater autem meus, agricola. Possunt porro tibi etiam ex eorum arte, qui plantandi studio sunt dediti, confirmare antedicta. In amygdalis quippe, optimatum arborum germina inserunt: alij etiam ramos cum frondibus inserunt, & in vitibus similiter faciunt. Cur ergo præter fidem sit, si etiam Deus in ijs quæ sub aspectum non cadunt, simili arte utatur? Sive in Verbo, cum assumptionem insevit, sive in assumptione Deum?] *Assumptionem*, Metonymicè vocat humanitatem assumptam; significatque, aut Verbum humanitati insertum esse, aut humanitatem Verbo.

338. Sed analogiæ accurata observatio, potius postulat ut Verbum carni insertum dicatur, cum generosus furculus deteriori trunco inseratur, ut fructus suaves existant ex consertione illa, non contrà. Apostolus, quidem, cap. 1. ad Rom. oleastrum in bonam oli-

nam insertum dixit: sed ut ibi Origenes lib. 8. notavit, [Apostolica auctoritate ordine computato, res magis causis, quam causas rebus aptavit.] Intendens videlicet ad mysterium de quo agebat, non autem sollicitus de servanda rei rusticæ veritate, cuiusque usu prodeundo, qui ut Glossa ibidem admonet, contrarium fert, quàm quod habet Apostolus. Quis enim miti arbori agricolæ inserat, pro suavis fructibus lecturus insuaves? Idque miror non vidisse Palacium, qui in 3. d. 1. disp. 1. sub finem, latè Incarnationis & initiationis analogiam contra Caietanum 3. p. quæst. 2. art. 6. defendens; ita instituit comparationem, ut Christus sit instar arboris insitæ, cuius truncus sit Divinitas, ramus verò insertus, sit humanitas; unde existant divini fructus operum humanorum redolentium Divinitatem. Hoc ab eo factum est, minus aptè. Nam inseritur (ut dixi,) planta mitis, agricolæ; & fructus quærentur, qui furculo inserto, non agricolæ trunco respondeant. Idè Rupertus l. 4. de oper. Spir. sancti c. 3. Christum specie ligni insiti describens, sic loquitur. [Ecce novæ creaturæ plantabatur paradisus de vniis & solius ligni vitæ virgultis siue radicibus; id est, vniis Mediatrix Dei & hominum, hominis Iesu Christi virtutibus, & fide, quem & Palamita commendans loquitur. *Et erit tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Secus decursus aquarum plantatum est hoc lignum, quia secundò plenitudinem omnium gratiarum semper vivens, ad omnia valens, carnis naturæ insitum est Deus Verbum, & huiusmodi homo novæ plantationis est initium, germen sanctum, vitæ lignum. Primæ huius emissiones Apostoli erant, plantatio eius, paradisi radicem eius.] Breuiter sed pulchrè S. Augustinus ferm. 9. de tempo. [Divina (inquit) operante potentia, credentis viscera fecundantur, & in ligno mortali, vitæ arbor inseritur, & portans in se omnia virtus ab infirmitate potatur; & qui terra, mari cœloque non capitur, intra vniis corpulenti membra suscipitur.]

339. Iuvat quoque adscribere, perpulchrè in hanc rem, differentem Richardum à S. Laurentio l. 12. de Deip. in expositione versus tertij qui hic fuerat, *Constitutus, excultus, plantatus, & agricola.* [Constitutus (inquit) tempore Dominicæ Incarnationis, quando nobilis ille furculus, scilicet Verbum caro factum, insertus est trunco nostræ humanitatis in horto vteri virginis. De initiatione dicitur Iacobi 1. *Cum mansuetudine suscipite insitum Verbum, quod potest saluare animas vestras.* Illud scilicet Verbum quod erat in principio apud Patrem & per quod omnia facta sunt. Sicut enim in furculo consistit tota spes & floris & fructus, & non in trunco; sic in Verbo assumente, nō in homine assumpto nisi rationis assumente. Unde dicit Ecclesiastici 24. *In me omnis gratia via & veritatis, in me omnis spes vita & virtutis.* Et hoc est quod dicit Iacobi 1. de verbo insito quod potest saluare animas vestras. Et nota quod insitio dicitur, cum trunco furculus fecundæ arboris, sterili inseritur. Bene autem dicit, *insitum Verbum*, quia ramus insitus & suam servat naturam, & ad se trahit saporem trunci: quod patet si pins oleæ inseratur. Non enim mutat naturam fructus, sed oleæ saporem ad se trahit. Sic & Christus dininam naturam servavit assumens hominem; sed ab infirmitate naturæ mortalis, saporem traxit, scilicet famem, sitim, fatigationem, & huiusmodi.] Tandem Abelardus ferm. de die Annuntiationis illud. *Quod nascitur ex te sanctum, vocatur Filius Dei*, concinnissimè in hanc rem scribit monstrans totam personam ex Verbo & humanitate compactam dici Filium Dei. [Nam & furculus (inquit) trunco alterius naturæ insertus, toti arbori propriæ naturæ confert vocabulum. Ut si esculus coctano inseritur, esculus non coctanus tota arbor dicitur, à digniori scilicet parte quæ fructum affert ita nominanda, sicut

sicut & ex fructu suo cognoscenda. Quædam autem insertio Diuinitatis in humanitate facta est hodie, & tanquam vna arbor facta est ex duabus naturis in vnam sibi personam conuenientibus. Scriptum quippe est de Sapientia quæ Verbum Dei intelligitur, quia lignum vitæ est, *huius qui apprehendunt eam*. Quid autem humanitas nisi arbor maledicta, & tanquam lignum mortis insertum intelligitur, cum in Virgine velut in bona terra hæc insertio sit facta. Cuius quidem insertio, ipse Spiritus in eam superueniens, operator fuit, tanquam illam prævidens diem quæ ad inferendum commodior videretur, sicut communis hominum opus tenet qui inferendi peritiam habent, & longa hæc experientia didicerunt. Vnde & confidenter alleluia, vix aut nunquam, aliquam insertionem quæ hæc sit, inuicem esse.]

Insitio in propria, initio ex Durando proposita, accommodata ad incarnationem, quæ Christus ex germine ascendit.

340. Quamvis autem hæc insitio quam proposuimus, magis quædam cum mysterio incarnationis, quam illa altera quæ ramus insertus, id est naturaliter continuatur tronco, aut radici à qua succrescit; tamen quia cum Durandus adhibuit mysterij adumbrationem, agere cum quoque persequamur; si prius illud obseruauerimus, non rectè Durandum ad perfectam similitudinem huius unionis cum vnione incarnationis, solam dissimilitudinem naturarum deponere. Nam reuera hæc vnio, vt Caietanus 3. p. q. 2. art. 6. rectè monet, non est nisi continuatio partium eiusdem rationis: quam continuatatem censere similem vnioni hypostaticæ, ridiculam merito pronunciat Caietanus.

Nunc prædictam incarnationis expressionem, insitam, vel etiam traditam in Scripturis esse, doceamus, vt tacemus Rabbinos quorum multos profert Calix. l. 3. cap. 16. Pulcherimè in tradidit Origenes l. 7. in Genes. tractans illud, *Ex germine fili mi, ascendet*. Mouet enim circa hoc dubitationem, quia *Germen* in Græco βλαστὸν dicitur, quod magis *Virgula*, vel *ramus* rectius interpretatur, qui de radice repullulat, vel de ipso robore arboris solet. Ex quo ergo virgulto, vel ex quo ramo Iudas ascendisse dicitur? Tum nonnihil agitata difficultate, & insinuat à expositione quæ de Iuda cum locum accipit; subdit multo conuenientius esse eum de Christo accipere qui est verus catulus leonis. [Iste catulus ergo, ascendit ex germine, ex virgine enim natus est. Non ex semine, sed ex virgine absque concubitu viri, & absque semine naturali nascitur Christus, velut virgultum sine ramus. In quo manifestissimè & veritas carnis assumpta ex virgine declaratur. In sacro-sancto germine, contagio humani & carnalis seminis excusatur.]

En Virginem tanquam Davidis radicem, & truncum propè emortuum, ex quo non interuentu feminis, sed absque eo, vixit in geminatione, erupit germen & gemma, in tantum eximium mox prouehenda: vnde etiam, qui abscisset vigor & viror, ac decus pristinum florem & fructum reueniet. Videtur autem S. Ambrosio l. de bened. Patriarch. cap. 4. & Diuinitatem Christo eo loco Genesios expressam esse, & humanitatem: Diuinitatem quidem, id quod etiam S. Hilarius tradidit luculenter in Psal. 131. ad illud *Si dederò formam*, quia ibi Christus dicitur leonis catulus, & Rex: quia Rex ex Rege processit, & fortis ex forte, [Audiant, (subdit S. Ambrosius,)] quia & leonem & catulum appellauit: leonem quasi perfectæ plenæque virtutis; catulum quasi Filium, ne quis cum audiret, æqualem Patri, non putaret Filium. Non sic laudatur Iudas, vt separatur à Patre. Ille probat æqualem, qui

Filium confitetur. Mirificè autem & incarnationem eius expressit dicens: *Ex germine mihi ascendisti*, id quod tanquam frutex terræ in alio Virginis genuit; & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi totus maternis viscibus in splendore nouæ lucis emissus ascenderet, sicut Isaias dicit: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascendet*. Radix familia Iudæorum; Virga, Maria, flos Mariæ Christus est, qui fontem mundanæ colluuiis aboleuit, odorem vitæ æternæ infudit. Habes ergo incarnationem.] Idem notauit S. Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 4. vbi relata tota illa Iudæ benedictione, & ad Christum aptata, monstrat verbis illis: *Catulus leonis Iuda; de geminatione, Filius meus, ascendet*; (sic enim legitur fortitudini leonis adiunctam esse geminationis teneritudinem, vt pateret illum qui catulus leonis est vt Deus, geminatione incarnationis factum esse paruulum & infirmum.

Dictūque etiam, Germen iustum, & Oriens.

341. Alter egregius in hanc rem locus habetur Ierem. 23. verbis illis *Eccce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit*: Quem locum non posse de vlllo alio accipi quàm de Christo, conuincit Euseb. lib. 7. de demonstr. Euang. demonstr. 9. Davidi ergo suscitandum promittitur germen iustum, quia ex eius tronco iam arido & propè emortuo, pullulaturum erat in Deipara, tanquam in virga ex radice Iesse ac Davidis, germen pulcherrimum, Christus. Et rectè sanè Christus, appellatur *Germen*: quod nomen, de ramis sponte adnascensibus ac succrescentibus tronco propè emortuo, propriè dicitur. Deus itaque, idem Davidi & regno eius euenturum denunciat, quod in alia visione monstratum est de regno Nabuchodonosoris. Nempe excindendum quidem regnum illius, sed tamen germen radicem eius in terra sinendum; ex quo germine repullulatura postea esset interuentu penitentiae, pristina gloria. Idem Davidi & regno eius euenturum propheta Ieremias c. illo 23. Et cum in prioribus capitibus descripsisset regni & populi attritionem, ac inter cætera in fine capitis 22. de Iechonia dixisset, *Scribe virum istum sterilem*, ne videretur euauisse diuinarum promissionum veritas, & euacuata esse fides Dei; subdit: *Suscitabo David, germen iustum*. Non simpliciter germen, (inquit supra Eusebius,) sed germen iustum, tanquam eum qui de iustitiæ Sole sit constituendus, & in cuius diebus oritura sit iustitia. Et sunt quidem inter nos quotidiana germina, sed iniusta & in iniquitatibus concepta, multæ quæ inde succretis iniquitatibus & iniustus operationibus scelerata. De hoc solo dictum est ad eius radicem, & Beatam Matrem, *Quod nascetur ex te sanctum*. Quamquam non sunt propriè, aliæ humanæ plantæ, germina, cum seminentur; quod est à ratione germinis præse sumpti alienum, vt vidimus: hoc autem de quo agimus, est verè & propriè germen.

342. Vocem Hebræam *semach*, Septuag. hic, & semper alibi, vertunt *orientis* quam vocem Interpres Latinus, aliquando *Germen*, vt hic, & apud Esaiam c. 4. aliàs autem *orientem* siue *ortum* & *succrescentiam* vertit: vt apud Zachariam c. 3. *Eccce ego adducam seruum meum Orientem*. Et c. 6. *Eccce vir, Oriens nomen eius*; Vbi Hieron. tres causas profert cur Christus denominatus sit germen, quarum prima spectat diuinam à Patre generationem: tertia efflorescentem ex eo sanctitatem & iustitiam in Orbe vniuerso prius corruptissimam. Secunda huc propriissimè spectans, pertinet ad Verbi incarnationem, & Christi ex Matre Virgine absque viri opera exortum, Verbo per seipsum vniro, & enato inde Christo. Alludit ad hæc loca, alter Zacharias Baptiste pater, cum dixit, *Visitauit nos Oriens ex alto*. Vbi nomen

nomen *Oriens* non est participium, quo significetur Christum exortum esse ad illucendum mundo, ut plerique quos sequitur Fernand. visione 31. sect. 4. n. 2. censuerunt, decepti consequentibus verbis quibus Christi munus describitur: *illuminare eis qui in tenebris & umbra mortis sedent*. Sed est nomen substantivum, ut Ribera optimè prosequitur Zachar. 3. Nam in Græco est *ἀνατολή* quod ortum seu germen significat. Neque ea Græca vox, cadit propriè in Solis ortum, quicquid eo loco Toletus contendat: & magis inclinat Franc. Lucas ibi v. 78. Sed vt ex Surda tradit Aluarez Isaiæ 4. duntaxat significat ortum eorum quæ e radice pullulant & succrescunt, quod passim dicimus *progeminare*. Et verò Fernandus tractans illud capitis 6. *Ecce vir, Oriens nomen eius*, cogitur visione 35. sect. 3. mutare notionem vocis *Oriens* apud Zachariam, & fieri sumi pro germine, quod expressè ferunt verba sequentia: *Et subter cum orietur*, id est, de illo germinabit & succrescet messis: vnde enervantur omnia quæ pro altera explicatione Orientis in illo alio Zachariæ loco proferri possunt. Quamquam quod Christo germi, illuminandi munus tribuatur, non debet novum videri: cum nulla appellatio aptè respondeat vniuersis Christi perfectionibus. Ideoque quod circa Deum notauit S. Dionysius, coniunctis & consociatis vt possumus nominibus, non ita coherentibus in creatis, habentibus vires & perfectiones definitas, nitamur exponere quod nulla vnica voce possumus.

Germen hoc Domini quomodo in magnificentia, & fructus terra sublimis.

343. Hic itaque est Oriens, siue Germen, quod Deus se adducturum pollicebatur. Hoc est *Germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terra sublimis, & exultatio his qui saluati fuerunt de Israël*. Vt Isaias cap. 4. prænnunciat. Germenis quidem rationem, habuit Christus in Incarnatione: cætera in Ascensione, & æterna vita complentur, vt perelegantè in hunc modum tradit S. Bernardus serm. 2. de Pentec. [*Germen Domini Iesus Christus, solus de mundissimo conceptus semine: quia etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Etsi Filius carnis Adæ, non tamen Filius præuicationis Adæ: quia non fuit naturâ Filius itæ, sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt concepti. Istud ergo germen quod de virga Iesse virore virgineo pullulauit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset à mortuis, quia tunc Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendens gloria, cum mediis Angelorum & animarum sanctarum ad Patrem deduceris, triumphatrice palma cœlis inuectus, susceptum hominem in ipsa diuinitatis claudis identitate? Quis cogitet, ne dum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis in confessa ad dexteram Patris, quod utique cœlestium oculos reuerberat naturarum, quod Angelicus intus contremis, non attingit? Veniat ergo exultatio Domine Iesu his qui saluati sunt de Israël, Apostolis tuis quos elegisti ante mundi constitutionem.] Præclare in eandem sententiam & prædictum Isaiæ locum & alia attingens, philosophatus est Guericus Abbas serm. 2. de Annunc.*

Sed quod Isaias, Germen illud Domini continuò nominet fructum terræ sublimem, non deerit qui de alia germinatione interpretetur; quæ scilicet non ex radice & trunco sicco, sed ex terra immediatè fiat: Quæ ratione exortitur Messiam idem Isaias c. 45. profiteatur, cum optat vt aperiatur terra & germinet Saluatorem: Idque propriè esse germinare, obseruauit Christophorus à Castro in cap. 23. Ieremiæ de hoc Christi nomine latè disputans. Non cogimur quidem, ger-

men illud, & sublimem fructum terræ, de quo Isaias c. 4. loquitur, illa germinatione productum affirmare, de qua agitur in secundo loco proposito: nam germen ex trunco propè sicco progeminans, & enatus inde ramus, est saltem mediatè fructus terræ sublimis. Si cui tamen placeat illud germen de quo in eo quarto capite, per germinationem immediatè ex terra absque semine exortum dicere; addat id factum eo modo, qui exprimitur in posteriori loco, quo terra aperta esse & germinasse dicitur, rore in eam delapso cœlestis, & nubibus pluentibus Iustum. Quibus verbis, cum cœlestem siue diuinam Christi naturam, cum humanam atque terrenam describi, notauit perpulchrè Vigilant. i. contra Eutychem *sub medium*, his præter cætera, post egregiè tractatam populi benedictionem *In rore cœli & terra pinguedine*, id est, vt ipse exponit, in Christo, ex cœlesti & terrena substantia compacto: quam etiam esse ait, *Benedictionem cœli desuper & benedictionem vberum & vultus*, à Iacobo expectatam Iosepho. [Quæ est terra quæ fructum benedictionis dedit, nisi Maria, cui dicitur *Benedicta tu & benedictus fructus ventris tui*. Et in Genesi, *Benedictiones*, inquit, *vberum & vultus*. Et in Psalmis: *Filij merces, fructus ventris*. Et de fructu ventris tui ponam super sedem meam. De quo fructu, hic idem sacri carminis Author in alio Psalmo concinit: *Verus de terra orta est, & Iustitia de cœlo prope- xit; Et enim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. In quo euidenter vtriusque naturæ confessionem prædicans, perfidorum ora obrundit, dum Veritatem de terra ortam, & Iustitiam de cœlo alserit prospexisse, quia Christus ex vtrique substantia habens, de cœlo scilicet, quia de Patre genitus, de terra autem, quia & de matre natus est, vtriusque habet parentis genitricem naturam: *A summo enim cœlo egressio eius*; Summum cœli Pater est, & processio eius tanquam sponsi de thalamo veri virginis, quod mysterium vtriusque naturæ etiam Isaias iisdem significationibus pandens cœlis & terræ, sic loquutus est, dicens: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Vide quàm consonis veritas munatur, prophetica auctoritate, sententiis; Quod enim David ait, *Iustitia de cœlo prope- xit*; Hoc Isaias dixit, *Nubes pluant Iustum*. Et quod ille subiunxit, *Et terra nostra dabit fructum suum*: Hoc ille addidit, *Aperiatur terra & germinet Saluatorem*; perspicuo satis & aperto, imò proprio Filiij Dei nomine vltus, vt fructum & germen terræ scpius in Prophetia nominatum, natiuitatem Christi ex Maria esse, nullus audeat dubitare, de quo germine vel fructu, idem adhuc Isaias loquitur, dicens: *In die illa eris germen Domini in magnificentia, & in gloria fructus terra sublimis*; Relictusne est vilis ambigendi locus, quin clarè & germinis & fructus nomine Christum apertissime significari constet, qui in tanta gloria & magnificentia sublimatus est, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum & omnis lingua confiteatur, quia *Deus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*? Vnde quod ait Apostolus, *propter quod & Deus exaltauit illum*; Et nunc Prophetæ: *Et erit fructus terra sublimis*, manifestissimè id, quod de terra, id est ex Maria sumptum, exaltatum & sublimatum intelligi voluit. Ceterum id quod de Patre est, semper sublimè fuit. Sed nec de rore cœli quod in verbi Dei figura sit posuisti, villa dubietatis patet occasio, cum ipse Isaias dixerit: *Et nubes pluant Iustum*. Et alibi satis apertius, imbræ cœlesti Verbum suum patrem comparasse, descriperit. Videtur ad hunc è terra Christi exortum pertinere locus ex Ieremiæ 31. iuxta interpretationem Septuag. adductâ à S. Athanasio in expositione fidei *sub finem*. Nam quod Aquila vertit, *Creauit Deus nouum in forma*; Vulgatus verò, *Non facit Dominus super terrâ, semina circumdabit virum*, Septuag. sic expresserunt, *Dominus nobis creauit ad plantationem, salutem nouam*. Quilocus

locus iuxta eam interpretationem, redolet sensum propositum.

vsus doctrinae.

344. *V*sus doctrinae is esse debet, ut Deo naturae nostrae infuso, deinceps diuina opera producamus, & de polita agresti conditione manifestemus. Constat tales fructus ex infusis plantis fructus existere quales sunt plantae: & quia petrus est fureculus. Sic pyrus excepto malis tunc de uince, & ex salice perlica. Cicurari quodque infusione arbores, ita ut etiam aculeos amittant, & quibus armanur, fructusque ferant & meliores, & grandiores atque celerius, notat Colterus lib. 2. de vniuersa stirpe. natu. cap. 5. Idem ut per hanc supernaturalem infusionem contingat, curandum est.

Nylenus concinne homil. 4. in Cant. ad illud, *Sicut malus inter ligna siluarum*, obseruat Christum id habuisse propositum, ut nos omnes tanquam agrestes sylvarum canos sibi inferens, efficiat bonae frugis ac mites arbores, quod assequemur si Christi imitatione pars nostri potior ac diuina, retinemus ad se vertat, & diuinum fructuum capacem reddat.

CAPVT VIII.

Verbum Abbreniatum.

*V*erbi abbreviati mentio est apud Isaiam c. 10. cum ait: *Reliquia conuerterentur; reliquia inquam, Iacob ad Deum ferent.* Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquia conuerterentur in eo: consummatio abbreviatio vnde dicitur infusum. Consummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio montis terrae. Hunc locum adducit Apostolus Rom. 9. *Isaias* (inquit,) *clamat pro Israel: si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquia salua fient: Verbum enim consummans & abbrevians in aequitate; quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Eam verbi abbreviationem, non pauci ad Verbi diuini quasi conuersionem, per incarnationem, referunt. Alij quauis ad Christum referant, non tamen ratione incarnationis: Sicut etiam qui nullo modo ad Christum pettinere putent.

Varia per Deum Verbi abbreviationes, non de Christo.

345. *N*egant ea verba ad Christum spectare, qui vocem *Abba* quam interpres reddidit *Verbum*, a iure significare rationem sine rationum aut supputationem; quod voluerit Apostolus, etiam si numerus Israelitarum esset ut aene matris, hoc est immensius, tamen reliquias futuras saluas, quia qui rationes subducit, qui inquam rationem consummat & abbreviat, est Deus ipse. Vnde omnes Filios Israel exquisitissime numerabitis, & paucissimos illos qui inter immensas percuniarum multitudinem electi fuerint, subducet, & salute potius, faciet. Salutem paucorum Israelitarum inter innumerabiles pereuntes ex ea gente, Arabes ac Syri in sua loci illius Apostolici interpretatione, propositum fuisse Apostolo agnouerunt; sed aliter acceperunt Verbum abbreviatum. Nempe ita ut idem sit, quod *Verbum definitum ac fixum, licet subiectum oratione.* Quo fere modo Galli dicunt, vno verbo sic placet: *Il ny a qu'un mot, ie le veux, cela sera.* Quam interpretationem loci Apostolici, maxime approbat Morauen. lib. 1. de Trinit. cap. 3. in fine, ad 3. argumentum Arrianorum contra Filij diuinitatem.

Non pauci item, ad Euangelij breuitatem praeparatam legis laciniosa amplitudine, Verbi breuiationem ad Isaiam & Apostolo propositam, referunt; iuxta illud

S. Bartholomaei relatum à D. Dionysio l. de mystica Theologia c. 1. [Theologia plurima & minima; Euangelium latum & magnum; paruumque & concisum.] Vbi Theologia plurima & minima, D. Dionysio interprete, idem est quod expressio Dei maiestatis, & multorum & paucissimorum, vel etiam nullorum verborum indiga. Euangelium verò *amplum & breue*, dicitur ob eam quam dicebam tam multorum complexiorem in tam paucis praeter Lege veteri. Neruose pro more Tertullianus l. 4. contra Marcion. cap. 1. citato Isaiam loco praedicto. [Quoniam (inquit) decisum sermonem faciet Dominus in terra. Compendiatum est enim nouum Testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum.]

346. At S. Cyprianus l. de orat. Dom. num. 79. ad formam breuiatam orationis & legum à Christo propositam, haec loca reulit, sic scribens. [Quid mirum fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breuiavit? Hoc iam per Isaiam Prophetam fuerat antè praedictum, cum plenus Spiritu sancto de Dei maiestate ac pietate loqueretur. *Verbum consummans, (inquit) & breuians in iustitia quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terrae.* Nam cum Dei sermo, Dominus noster Iesus Christus omnibus venerit, & colligens doctos pariter, & indoctos, omni sexui & aetati praecepta salutis ediderit; praepiorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina caelestis diligentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret. Sic cum doceret quid fit vita aeterna, Sacramentum vitae magna & diuina breuitate complexus est, dicens: *Hac est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum ac verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Item cum de lege & Prophetis, praecepta prima & maiora decerneret: *Audi* (inquit,) *Israel Dominus Deus tuus, Dominus unus est. Et diliges Dominum Deum unum de toto corde tuo, de tota anima tua & de tota virtute tua; hoc est primum & secundum simile huic; Diliges proximum tuum tanquam te.* In his duobus praeceptis tota lex pendet & Propheta. Et iterum. *Quicumque volueritis, ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis.*]

Rufinus initio explicationis in Symbolum, per Verbum abbreviatum à Deo factum super terram, intelligit regulam fidei siue Symbolum Apostolorum, tam paucis tam multa complexum. Idem egregie habet Cassianus lib. 6. de incar. cap. 3. [Symbolum quippe (inquit,) ut scis, ex collatione nomen accepit. Quod enim Graecè, *σύμφορον* dicitur, Latine collatio nominatur. Collatio autem idem, quia in vnum collata ab Apostolis Domini, totius Catholicae legis fide, quidquid per vniuersum diuinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in Symboli colligitur perfecta breuitate; secundum illud Apostoli; *Verbum, (inquit,) consummans, & breuians in aequitate: quia Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Hoc est ergo breuiatum Verbum quod fecit Dominus; fidem scilicet duplicis Testamenti sui in pauca colligens, & sensum omnium Scripturarum in breuia concludens, sua de suis condens, & vim totius legis compendiosissima breuitate perficiens: consulens scilicet in hoc, ut piissimus Pater, vel negligentiae quorundam filiorum suorum, vel imperitiae; ut non laboraret utique quamvis simplex, & imperita mens capere, quod possit facile etiam memoria contineri.]

Sed hoc non est regulae fidei particulare. Nam S. Ephrem serm. de margar. pretiosa, demiratus quod ex vno margaritae nomine, tam multa de Deo & Apostolo & regno caelorum denucisset, ait: [Deum patrem, agricolam, & opificem, & mercatorem, & figulum, Mediatorem, accreditorem, praemiorum distributorum, & munificum, nostra appellauit oratio. Magnum]